

# PHILOSOPHIA NATURALIS



THE SILENT

THE PRESIDENT

Pro prima Philosophiae Laurea  
SAMVELE IOANNE KONARZEWSK  
Metaphysices Auditorie  
In Insula Academia Vilneni Socie SV propria  
natali die anno Oct 28



PERILLVSTRI Ac MAGNIFICO DOMINO  
D. G A B R I E L I  
S I P O W I C Z

Tiuuno Szaudouiensi Notario terrestri Duca: Samogitiæ  
Perennem felicitatem.

**P**Rouidâ Diuina mentis ratione in Alma Vniuersitatis Vilnensis are-  
na pro naturali decertaturus Philosophia, nullius armis & bella-  
re confidentius, & triumphare glorioius me posse, prater Tuam Sa-  
gittam, gauisus aduerti Perillustris & Magnifice Dne. Cum enim re-  
trolapsa antiquitas omnem sagittam Fiduciae hieroglyphicum prudenter  
esse voluerit; vel ex eo faustum votis meis auſpicari omen liceat; quod  
tot in Patriam meritis glorioſum Tuum Telum pugnatrici prehendam  
dextrâ. Et quia frustraneus labor in eo inquirendo locatur, quod beni-  
gnâ naturâ facunditas intra proprios conclusit finis, profecto im-  
prudentia notam incurriſſe viderer, si aliunde quaſita emendicarem  
præſidia, que visceribus, ut ita dicam, ac septis Domus Tua, mi-  
hiq; & beneficiis, & sanguine contigue, contineri, abundeq; ſu-  
peresse non ignoro. Atque ita eò aquiore animo nobilissimarum proſapia-  
rum, nulquam Philosophico confpersa puluere prætero arma, Tuamq;  
in partes meas aduoco Sagittam, quo luculentius eam Philosophia pen-  
nis subiectam, Martiâ chalybe grām, hostibus denique Patriæ  
horrendam fuisse ſemper, perſpectum habeo. Spectauit ſacrarum pro-  
fanarumq; ſcientiarum Altrix Cracouia emulum Sagittæ, ingenij Tui  
acumen, validam in penetrandis Philosophia obicibus aciem, dignamq;

A

iudi-

iudicauit Sagittam tuam, quam in signum tot triumphorum, quos in arena Philosophica retulisti, Laureatam in Lituaniā renutieret. Et vero quam Polonicus in Laurum vernaſſe ſuſpedixit orbis, eandem inclytus Samogitiae Ducatus reducem futurarum victoriarum omen excepit, & innato ſibi iure per varios honorum gradus non tam fortuna impulſu, vel ambitione populari, quam proprie virtutis alis in altum enitentem eft admiratus. Cum vero pulchrius, & ad claritatē nominis valentius eſſe noſſes, parari quam creari illuſtre, & honorum fastigia, non cunarum lenocinio, sed induſtria, labore, bonorum ac jaluitis Patriæ impenſorum diſpendio glorioſius emi, quo ſpem de te omnium impleres, in lucris ponere id vilues, ſi pro incolumitate Patriæ, in viſcera Samogitiae ſauienti Suetico Leoni tua sagittam obyceres, pie-tate, que armorum anima eft, communitus. Atque ut feliciter in illas auidas noſtri ſanguinis fauces Iaculum Tuum vibrasti, ita felicius minacia Baltici Leonis ora occluſisti, & in Szaulenib⁹ ſauciatum capis, proprio innatantē ſanguini ultra fines Samogitiae pepulisti. Tunc grauiori ſtylo indelebiles Sueticis ceruicibus induxiſti characteres, dignūg, factis Te probasti, qui in Notariū ſeruatæ tot characteribus Samogitiae eligereris. Ita igitur confiſo & pharetra ſuccinctus fermis Patriæ; ut ſago an togā magis Samogitico profis orbi, difficile decerni poffit. Accelerata nunc hostium animorumque debellatrix Sagitta, glorioſi Hæredis tui meritis impulſa, & qua in Philosophia aque ac Martis arena certans immarcelcibilem gloria Lauream tibi comparasti, mihi natu-ralēm Philoſophiam, tuosque auitos ſplendores propugnanti, certum ſecurumq; ad Lauream pande iter.

Perilluſtris ac Magnificæ D. T.

Humiliſimus Client

SAMVELIOANNES KONARZEWSKI

# CONCLVSIONES PHILOSOPHIÆ NATVRALIS

I.

Physica naturæ indagatrix pro obiecto materiali Corpus naturale considerat, pro formali habens naturalitatem. Est verè & propriè scientia speculativa, nulli alteri subalternata. Inter illius obiecta uti nobilissimum homo est, ita est obiectum attributionis.

II.

Fieri corporis naturalis, ut est mutatio, tribus constituitur principiis; Materiâ, formâ & priuatione. Qui ultimâ dicit esse, abutitur vocibus; melius dicet, formam non esse; priuatio enim, est ipsam formam quatenus non existens in subiecto. Corpori in facto esse duo tantum ex his prima principia competunt.

III.

Qui materiam primam negat, se esse substantiam compositam negat. Quamvis uero ipse sit generabilis & corruptibilis, materia tamen illius ingenerabilis & incorruptibilis est, propriâ existens existentiâ. Essentiam materiæ Metaphysicè exprimet, qui dicet esse partem substantiam perfectibilem in toto. Si existeret materia spoliata à Deo omni formâ, adhuc existeret naturaliter, tanquam ea, quæ nec à priori, nec à posteriori dependet à forma.

IV.

A2

Equa-

**A** Qualitatis amans eodem appetitu nobiles & ignobiles formas appetit, nec auersatur corruptas. Nec solùm absentes sed etiam præsentem appetit appetitu desiderij. Potentia, quam habet ad formas, est illi identificata, & essentialis.

V.

**F**orma est ratio, quod quid erat esse rei; non sola tamen est essentia compositi Physici. Nequè ideo est homo aliis, quia in homine mutatur toties per nutritionem materia. Materiales formæ non educuntur ex materia more Græcorum ex equo Troiano, secundùm aliquod esse præexistens: educi enim illas est, produci dependenter à materia ut à causa materiali sustentatiua.

VI.

**O** Vem cum lupo conciliabit, qui supernaturaliter utriusq; formam in eadem ponet materia; nec diuidet igne à se, qui illum in duobus subiectis ponet. Ad vniendas materiam & formam secum nullo opus est medio vel modo intermedio adæquate distincto. Qui totum à partibus ut vnitis simul sumptis inadæquate distinguit, nullam patietur iniuriam, si illi partes absumentur.

VII.

**H**omo non est natura, licet materia illius & forma, etiam quatenus est rationalis, sit natura. Violentum est, cuius principium est extrinsecus passo non conferente vim.

Non

**N**on est contra obedientiam creaauræ, Deo debitam, quod  
creatura possit à Deo pati violentiam.

VIII.

**I**ntelligentiæ possunt multa mirabilia in natura operari  
naturaliter per motum localem, & applicationem; per  
se immediate nihil possunt. Numeri & voces nihil habent  
virtutis naturalis ad effectus naturæ. Ars potest emulari  
naturam; potestq; aurum verum efficere si attendas ad  
principia; si ad experientiam, citius spoliabit auro. In vr-  
sis & aliis brutis ars nulla est.

IX.

**C**ausa, quæ est principium per se influens esse in aliud,  
essentialiter respicit possibilem effectum, estq; cum illo  
in individuo ita cōnexa, ut si vna implicaret formica, impli-  
caret etiam causam illius producīua. Nec ignis immediate  
extinctus vrere potest: nec duæ trabes se sustentantes sibi  
sunt mutuo causæ; nec idem ignis potest sui ipsius effectus  
esse, etiam per secundam productionem.

X.

**B**asiliscus cū à longè visu enecat, non agit in distans. Duæ  
causæ totales naturaliter ad vnum effectum concurrere  
non possunt, possunt supernaturaliter. Deus causæ mate-  
rialis causalitatem nec in cōpositum, nec in formam potest  
supplere in genere causæ materialis. Prius forma noua indu-  
citur in materiam, quam expellatur antiqua, non sunt ta-  
men duæ formæ simul in eodem subiecto.

XI.

**Causa-**

**C**AUSALITAS CAUΣÆ EFFICIENTÍS EST ACTÍO, QUÆ IN RECTO EST  
ipsa entitas effectus connotans causam à qua fluit. E-  
ductiva actio formaliter distinguitur à passione. Negant  
virtutem actiūam in creaturis, efficaciter persuadet ignis  
digito applicatus. Sunt autem substantiæ productiæ tam  
accidentium siue in proprio siue in extraneo subiecto, quam  
substantiarum cum concurso accidentium. Dum genera-  
tur rana ex putri, nullam parentem agnoscit ranam ut sic.

XII.

**T**ANTUM EST DOMINIUM DEI IN CREATURAS, UT IMMEDIATUM  
SUUM INILLAS INFLUXUM IN NULLAM CREATAM CAUSAM TRANS-  
FONDERE POSSIT. NULLAM TAMEN CAUSAM PRÆDETERMINAT, PER  
ALIQUAM QUALITATEM. QUODSI CAUSA CREA TA LIBERA À DEO  
DETERMINATUR AD INDIVIDUATIONEM, & EXERCITIUM ACTUS, IPSA  
DEUM DETERMINANS AD SPECIEM, NULLUM INDE SEQUITUR PRÆ-  
JUDICIUM NOSTRÆ LIBERTATI.

XIII.

**F**INIS EST VERA CAUSA PHYSICA, CUIUS ACTUS PRIMUS EST BO-  
NITAS OBJECTI PER COGNITIONEM PROPOSITA. NON TANTUM  
MEDIA, SED ETIĀ AMOR FINIS EST EFFECTUS FINIS. AUES NI DIFICANDO,  
NON AGUNT FORMALITER PROPTER FINEM. DANTUR IN REBUS FOR-  
TUNA & CASUS: ILLA SIUE AMICA SIUE INIMICA HOMINUM EST,  
ISTE IN CAUSIS IRRATIONALIBUS. MONSTRA NON SUNT SIMPLICITER  
EFFECTUS CASUALES. FATUM CHRISTIANÈ DATUR, QUOD EST DISPO-  
SITIO CAUSARUM SECUNDARUM DIVINAM PRUDENTIAM INFAL-  
LIBILITER EXEQUENTIUM.

XIV.

Motus

**M**otus localis terminus ad quæ est præsentia in loco seu  
vbi, quod est ipsum locatum in distans à loco. Eti-  
am si aliquis in nauि curreat per oppositum currat, non  
mouetur duobus motibus contrariis.

XV.

**P**otest supernaturaliter idem corpus circumscriptum  
esse Vilnae & Romæ; & h̄c algere, ibi vii; quin & ibi  
mori, h̄c vivere. Nullis naturæ viribus potest in scypho da-  
ri vacuum: quod si daretur Divinitus, in illo lapis ex manu  
projici non posset. Extra cælos nullus locus est, licet tamen  
spatia quædam imaginari, quæ sunt corpora possibilia a-  
pta ambire.

XVI.

**Q**uantitas est distinctum accidens à materia, in qua eti-  
am recipitur, non in composito. Nullum continuum  
perfectè diuidi potest: vnde papauer quantumcunque com-  
minutum, adhuc melius in infinitum comminui potest:  
Quod antequam comminus, nullas partes habet actu.

XVII.

**I**n infinitum categorematicum in creatis nullum est dabile:  
nec creatura ita perfecta, ut illâ perfectior in infinitum  
dari non possit. Duratio à re durante quo ad rectum non  
distinguitur: in obliquo addit connotatum temporis. Tem-  
pus est numerus motus secundùm prius & posterius, ha-  
bens partes potentiarum: secundùm rationem formalem prio-  
ris & posterioris redire non potest.

XVIII.

Mun-

14 p

**M**undus nec quoad successiva, nec quoad permanentia  
potuit esse ab æterno. Probabilius creatus est in vere  
Mense Martio. Cæli sunt compositi, & ab intrinseco cor-  
ruptibiles. mouentur ab intelligentiis, terrâ interim stante.  
Velocitas motûs cælestis est prope incredibilis; ex supposi-  
tione si tantum sol decies sit maior terrâ, intra hoc spati-  
um, quo totus supra horizontem emergit, millaria 17180  
conficit.

XIX.

**T**Restantum sunt Cæli Empyreum, sidereum & aereum.  
sidereum est liquidum, in quo sidera ceu pisces in aquis  
natant. Sidera non sunt partes cæli densiores, sed corpo-  
ra ab illis specie distincta. Sol licet mediâ luce etiam vrat,  
ignis tamen non est. Maculæ in luna non sunt sylvae, la-  
cus & montes, sed partes rariores.

XX.

**A**stra agunt in inferiora per suas influentias, non tamen  
in voluntatem humanam: ideo fures frustra accusant  
mercurium, tanquam authorem sui furti. Dum Astrologi  
ex astris prædicunt ventos, tempestates, siccitatem, steri-  
litatem, probabiliter illis credi potest: quando verò bella,  
& alios effectus à voluntate libera pendentes prænunti-  
ant, risum non fidem merentur, ut pote iam de hoc da-  
mnavi.

AD. M. D. G. B. M. V. S. L. O. C. H.

L17  
1195